



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Oliverii Florentii Waterloop Congreg. Oratorii B. Mariae  
Aspricol. Presbyteri Monita Spiritvalia Et Moralia  
Tetrastichis distincta**

**Waterloop, Oliverius F.**

**Antverpiae, 1657**

Titulus VI. Iracundia, Mansuetudo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9689**

Quem jure possis, cùm voles,  
Mális ferendo vincere:  
Illustris est patientia;  
Obscura, juris æquitas.

Es quisquis osor litium,  
Turbas & iras effugis:  
Hac lenitate, plurimum  
Tranquillitati consulis.

Amica pacis æquitas  
Deliberationibus  
Aperire consuevit forum,  
Foresque bello claudere.

Vicinus est malus tibi?  
Huic indigenti fac benè:  
In jus ubi vocaberis,  
Pro te volens testabitur.

Læsus, potenti da locum,  
Da tempus iræ: te volet  
Sontem juvare septies,  
Qui læsit insontem semel.

Sta fortis, & tacitâ tuos  
Prudentiâ affectus doma;  
Facies amicum qui nocet,  
Hostemque reddes hospitem.

Æqui boniæ regulam  
Conculcat ira, cùm caret  
Duce ratione: nil boni  
Tractari ab irato potest.

Est lucis expers impetus;  
Ignara rixa consill;  
Concordiæ altercatio,  
Sapientiæ arrogantia.

Præceps ad iram, rem ob levem  
Leviter movetur; nec potest  
Quæ recta sunt discernere,  
Et ad docendum ineptus est.

2. Infirmitus est animus ferox.  
Iram coërce: ni facis,  
Mentis recedet pristinæ  
Et robur & serenitas.

E nare pressâ abit crux,  
Lac & butyrum ab ubere;  
Sic rixa ab irâ nascitur:  
Rixam times? iram preme.

Sit ira lenis: altero  
Sic temperetur alterum,  
Ne lentior sit lenitas,  
Nec ira sit violentior.

Placidæ quietis otium  
Ne turbet ira, fluctibus  
Obsiste primis: serviat  
Adfectus; huic mens imperet.

Quando

### *Iracundia. Mansuetudo.*

1. **I**nfania est quidam furor;  
Homines in irâ corripit:  
Hanc continere, ingens opus,  
Viroque dignus est labor.

Est fortis ille, qui facit  
Ex hoste amicum, qui malæ  
Domitor cupidinis, suam  
Substringit iracundiam.

POEMATVM, SPIRITALIVM PARS III. I

Quando esse nulla non potest,  
Sit ira lenta, sit brevis:  
Morata, & inter candidas  
Mentes similitates parit.

Qui tam repente irasperis,  
Idemque placaris citè;  
Quod parte ab unâ amiseras,  
Lucratis hoc ex alterâ.

Irasceris citissimè,  
Placaris & tardissimè?  
Talis quid expectes, nisi  
Ut audias vir pessimus?

Irasceris tardissimè;  
Placaris at citissimè?  
Hæc promeretur indoles,  
Ut audias vir optimus.

Irasceris tardè; sed hoc  
Placaris ipse tardiùs?  
Laudem boni partam viri  
Irâ tenace prodigis.

Sic dissidere consuli  
A consule ob munus licet,  
Ne sub colore muneric  
Offendat alter alterum.

Amore consta, iræ immemor;  
Habeat similitas terminum:  
Finem modumque nesciat  
Amoris antiqui favor.

3. Sic sensa mentis ordina;  
Sic dicta, facta dirige;  
Ut nemo jure abs te queat  
Fuisse se læsum queri.

Prudentis est opus viri,  
Posse, atque nolle lèdere:  
Haud posse quemquam lèdere,  
Et velle, stultorum est opus.

Injuriam insontes ferunt,  
Non inferunt: minis, manu  
Vexantur: abstinent manus,  
Minasque; vexant neminem.

Majora damna fer magis,  
Minora quām velis dare:  
Audire quis nequam eligat,  
Aut esse malit, quām miser?

Injuriam quòd nemini  
Iam feceris, non protinus  
Es justus; at quando potes  
Facere, nec optas, nec facis.

Nocere cùm vis alteri,  
Vbiique causas invenis:  
Menti malæ nusquam deest  
Malefaciendi occasio.

Benè fac bono: vir optimus,  
Fiet lacefitus malus:  
Mutare se, quam provocas  
Injuriā, bonitas potest.

Cùm lenior mens lèditur,  
De lenitate fit furor:  
Quòd mitior qui lèditur,  
Hoc ejus ira est æquior.

Frequenter est viri boni  
Gravissima iracundia:  
Bonitas ad iram tardior,  
Livore læsa fulminat.

Si

Si vis nocere nemini,  
Sume indolem columbuli.  
Tibi vis nocere neminem?  
Serpentis ingenium indue.

Est hostibus maledicere,  
Vestigium imprudentiae:  
Verbo cavebunt territi,  
Nocere ne facto queas.

Vir mitis & tractabilis  
Substringit iram : injurias  
Vultu sereno digerit ;  
Cera est, columba est, agnus est.

Ne detrahe hosti mortuo,  
Sed ejus adde laudibus ;  
Ne, posse quod te quis vider,  
Potuisse non credit prius.

A fratre quod jure exigis,  
Id, quā potes, fratri exhibe:  
Hoc æquitatis est breve  
Et lucidum compendium.

Felix es, hoste si cares;  
Felicitas, si te carent  
Hoste omnia: utrumque obtines?  
Miser es, vel adfinis DEO.

Stude nocere nemini:  
Errore si quem læseris,  
Quo jure possis conqueri,  
Quod jure multeris pari?

Felix es, hoste si cares ;  
Felicitas, si te caret  
Et omnis hoste & singulus.  
Utrumque habes? par es DEO.

Cūm perpetraris quid grave,  
Non sit grave immperiti:  
Nam jura debent par pari,  
Malum malo rependere.

5. DEUM ut sequaris, vim tuam  
Cave nocendo ostendere;  
Monstra juvando: quanta laus,  
Nil posse plus quam scorpius !

Quod alteri antè feceris,  
Ab altero expecta malum:  
Quas cōpedes facit faber,  
Sæpè in suam struit necem.

Aversioni cordium  
Da tempus ; indignatio  
Est error: hic moritur mora,  
Cineresque amoris suscitat.

Sæpè ipsa fieri injuriam  
Coēgit improbitas sibi:  
Per se perit quisquis perit,  
Gladioque se jugulat suo.

Quando malo vincis malum,  
Non vincis ; ipse vinceris:  
Quando malum vincis bono,  
Haud vincit hostis ; vincitur.

4. Ab hoste carpe commodum.  
Ne, quod patraris, arguat,  
Hoc vive teste cautius:  
Amara purgant pharmaca.

Memorare & obliviscere:  
Esto boni accepti memor,  
Dati immemor ; mali immemor,  
Facies bonum, fugies malum.

Iratus,

Iratus, ad mentem redi;  
Compece cæcos impetus:  
Da temporis levem moram,  
Locumque pœnitentiæ.

Malè fecit iste? fac benè;  
Bonumque redde pro malo:  
Nec innocentiam velis  
Odio nocentis perdere.

Sta natis, aut iram rege:  
Rationis extra limites  
Iratus, aut præter modum,  
Habitare apud te desinis.

Quando ira de placido trucem  
Te fecit, abstulit tibi:  
Ratio benignum de truci  
Te reddit, ut reddat tibi.

Quò major est, hòc est homo  
Humanitati pronior:  
Sed hòc homo est homo magis,  
Quò ceteris humanior.

Irâ excitetur mens hebes;  
Mens mota per patientiam  
Sedetur: ignem mutuò  
Vnda, ignis undam temperet.

Vt corpus ensis, aspera  
Sic dicta mentem sauciant:  
Injuriam ne sentias,  
Haud pertinere ad te puta.

6. Calumnias noli acribus  
Arcere dictis; quin stude,  
Ad ultionem fervidos  
Frenare mentis impetus.

Mors est superni luminis,  
Mors est amoris, improbæ  
Amor ultionis: ut tibi  
Parcit Deus, parce alteri.

Ne surge probro saucius,  
In probra vindex mutua:  
Vindicta stulto convenit;  
Hanc defer hosti, si sapis.

Injuriæ obliiscere:  
Damni, dolii, calumniæ  
Debet vetusta memoria  
Fraterno amori cedere.

Potens obesse, nec velis,  
Bonitate vim premes tuam,  
Nec opprimes: vis agnita,  
Virtute fiet clarior.

Fuge talionem: odit Deus  
Memores querelarum notas,  
Nullumque contumeliae  
Superesse vult vestigium.

Vix ulla sit melior tuae  
Iræ medela, quam Dei  
Patientis, heu! pro te Crucem  
Amica contemplatio.

Si debitor non es Deo,  
Sis debitori durior:  
Debere te agnoscis Deo?  
Ignosce debenti tibi.

Odium creabit inutuis  
Lis orta de cavillulis:  
Sedabit irarum minas  
Mentis nitela simplicis.

Certare qui vitiis volet,  
Huic cedere est victoria:  
Si quis volet virtutibus,  
(Iuvet experiri) haud cedere.

Nulli male, omni fac bene.  
Quibus onus es, sint hi tibi:  
Hos excute: est tutissimus  
Thesaurus innoce ntia.

Insignis est proterviae,  
Litis sepultae mortua  
Redintegrare semina:  
Tu mitis, obliviscere.

Si ferre non potes malos,  
Nec esse cum malis bonus;  
Nec es, nec ex vero potes  
Audire simpliciter bonus.

Contentionis desine:  
Sit centuplo pluris tibi  
Vel una pacis uncia,  
Quam tres librae victoriae.

Mansuetus & sapiens solet  
Improvidi esse vehiculum:  
Temerarium fert, & vehit  
Toleratque stultum, qui sapit.

Nil aestima, quam jurgio  
Paraveris victoriam:  
Homines quid inter, o homo,  
Canis videri gestias?

Dolori in iram fervido,  
Verboque ab ira missili  
Ignosce: mens hominis tacet;  
Sed ira clamat, & dolor.

Contende paucis: tristior  
Rixam manet victoria.  
Te plus decet, cum sis homo,  
Homini imminere nemini.

Medetur iracundiae  
Benigna amici oratio;  
Verbisque blandioribus  
Mulcetur irati dolor.

Extrema meta jurgii,  
Vtrimeque poenitentia:  
Extrema mansuetudinis,  
Mentis serenae gaudium.

Non quod dolor, sed quod fides  
Dictarit, id facto est opus:  
Non hoc ages, nisi & tuis  
Habearis æquus hostibus.

Vesana vita jurgia,  
Nec ore digna, nec auribus:  
Cave, verba si verbis paras,  
Furore ne te acuant pari.

7. Odiosa sunt odia omnia,  
Aperta, operta; sed dolus  
Odiosiora hæc efficit:  
Vitabis illa, si caves.

In te antè fac pacem tibi;  
Pacabis unus omnia:  
Tam pulchra fulcra quis suæ  
Felicitati subtrahat?

Odiis apertis pliis nocent  
Operta; fraus hæc clanculò  
Armabit, aut teget dolus:  
Vitabis illa, quæ vides.

Ami-

Amicum an hostem juveris,  
Varius docebit exitus :  
Ab hoste cùm vives procùl,  
Incommodum non senties.

Me nemo nunc acerbiùs  
Vrgere gaudet, unico  
Quàm qui me amico millies  
Est usus, ut saperet magis.

Ira omnium tardissimè  
Senescit: hosti ne statim  
Confide: lente gratia  
Sarcitur; at citò solvitur.

Vix nata, vix semel agnita,  
Cum flore flaccet gratia:  
Injuriæ folium levis  
Haud flaccet ; at se ventilat.

Injuriam uni qui facit,  
Multis minatur: qui nocet  
Vni, nocebit omnibus,  
Inimicus esse cùm volet.

Est pertimescendus tibi,  
Qui jam suæ vitæ satur,  
Vel osor, haud timet mori:  
Vitæ ille fit dominus tuæ.

8. Est, qui coactus opprimit  
Salvare quem vult, bis miser;  
Quod nolit inferens malum,  
Quod málit auferens bonum.

Est, qui coactus deserit  
Iuvare quos málit, miser:  
Si non beatus & miser,  
Prodesse qui vult, nec potest.

Est, qui coactus arguit,  
Laudare quem málit, miser:  
Imò beatus, neminem  
Quòd non coactus arguit.

9. Contentionum semina  
In rebus & verbis cave:  
Dictum omne refert, quàm bono  
Veroque sensu intelligas.

Vel linguæ in ipso turbine  
Sta compos & victor ; citus  
Audire, lensus dicere:  
Amentis os mentem anteit.

### Lingua Bona.

### Lingua Mala.

1. M Oderare linguæ; sed priùs  
Turbas serena pectoris;  
Ineruditum turbida  
Loquela pectus arguit.

Homo videt paucissima;  
At cuncta pervidet DEUS:  
Inanis hinc homo loquitur  
Sæpiissimè, DEUS semel.

Et rariùs loquitur DEUS,  
Et quando oportet : tu DEO  
Virtute in unâ proximus  
Vis esse ? judicio tace.

Vitæ & salutis sit tibi  
Fecunda mens sermonibus;  
At parce linguæ : intus docet  
Facundius silentium.

Z 2 Homi-